Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8132
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



De substantia vinorum cum obligacione colorum appriatorum Cap. xv

Vina namque, quo ad eorum substantiam grossiciem et subtilitatem certis stringuntur coloribus. Quemadmodum dulcium substantia semper est grossa et turbida. Et maxime dulcedinis ait gal. vina non inveniri sine nigredine grossicie et turbulencia. Hoc enim inquit vinum puta nigrum aliquando dulce nonnunquam ponticum aliquando vero ponticum est et dulce simul. Nigrum autem solam habens dulcedinem calidius est et nutribilius plusque ceteris ventrem humectat et urinam provocat ventositatem et inflacionem creat propterque fumositatis sue grossiciem et gravitatem caput tardius petit. Ipsum vero dixit Ruffus et testatur Rasis vicesimo secundo continentis si cum nigredine dulce est carens stipticitate et non est fortis caliditatis nisi declinaret ad amaritudinem habundantis est nutrimenti. Dulce vero et ponticum dixit ysaac grossius est et durius ad digerendum magisque inflat lapidem in renibus in splene et epate opilacionem facit. Preterque capitis et nervorum dolorem. Unde ait gal. In hec verba Dulce vero simul et austerum idest ponticum vinum quod secundum ciliciam ex contrariis [illegible] sistit qualitatibus pravum existens neque

dulce vinum

roseacium